Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cause consultare devotam mentem plenius.

Quomodo perturbationis nostre tempore agnoscere debeamus ad orationis remedia confugere et eiusmodi suffragium in usum adducere.

Restat [oʒ] illud querere, quid sit danielem ad regem intrare. Recte fortassis per regem, qui omnibus presidet et imperat, intelligimus hoc loco vehementem animi motum et validum liberę voluntatis imperium, cui facile quelibet alia affectio cedat vel obediat. Sunt quam multis cum sunt vehementi affectu vel acri commoti, omnino non occurrit ratione vel discretione consulere, quanto minus ad orationem confugere vel ulla devotione admittere. Sed quid aliud hoc dicimus esse, quam sapientium neminem coram rege audere apparere.

Sepe tamen quidam etiam cum sunt post sedatum animi impetum, cum ad semetipsos redeunt, ad discretionis iudicium et devotionis officium recurrunt, satagentes corrigere in quibus perturbationis tempore excesserunt.

Sed si circa cordis disciplinam studiosi sumus, quemadmodum esse debemus, doceamus et assuescamus animum nostrum sub quovis impetu et perturbationis tempore ad discretionis consulta confugere; et hoc est sapientes ante conspectum regis admittere.

Sed quia sepe contingit ut nulla rationis attestatione perceptum perturbationis sue impetum lenire possit, debet mens sub eiusmodi necessitatis articulo ad devotionis auxilia recurrere, et ad placandam perturbationis sue violentiam divine miserationis suffragia impetrare, et eiusmodi devotionis remedium oportet in usum adducere; et hoc est danielem ad regem intrare. Quasi enim daniel ad regem ingreditur, quando ad placandum animi impetum sub ipso etiam perturbationis impulsu devotio suffragatur. Notandum sane quod superius dicitur introductus, hic vero simpliciter ponitur quod sit ingressus. Puto autem quia aliud ~~sit~~ et aliud sit ab alio introduci, vel per semetipsum ingredi. Sic ex superioribus patet sub omni vehementia animi impetu devote orationis suffragium presto debet habere; hoc est danielem in presentia furentis regis non deesse. Sed ut omnis communiter novimus, alia nostra sagacitate et sollicitudine efficimus, alia orando et deo supplicando precibus optinemus.

Quando igitur humana sagacitate exercitatione devotionis presidium ad sedandum animi impetum assuescitur, ille noster daniel quodammodo ante perductum regis presentiam alieno officio introducitur.

Quando autem hoc non tam meditando quam orando efficitur, daniel procul dubio ad regem per semetipsum ingreditur. Debemus itaque studiosi sagaci premeditatione mentem nostram ad devotionem excitare, et hoc erit danielem alieno officio introducere. Hec quia sepe et cum necessitas exigit et urget devote orare non possumus, divine visitationis et nostre compunctionis tempore oremus, ut necessitatis tempore orare possimus. Si itaque orandi facultas oratione optinetur, daniel procerto per semetipsum ingreditur. Sed nec illud quidem negligenter pretereundum quod